

nisi Regis providentia mercatorum avaritiae per quos  
vinum igne stillatum ac decoctum barbaris ingeritur,  
frenos injiciat. Si remedii nihil affertur huic malo,  
brevi non religionem solum amissam lugebimus, sed  
Gallicam quoque Coloniam penitus eversam. Quippe  
barbaros in Gallorum fide nihil continet præter religi-  
onem; hac deperdita confluent omnes ad vicinos  
hæreticos apud quos lucri multo plus, quam apud  
Gallos faciunt, et suas merces commodius distrahunt.  
Quominus ad eos se conferant obstat salutis æternæ  
ratio, cuius inter illos nullam sibi spem fore sciunt.  
Hoc vinculo abrupto, soluta per ebrietatem et comites  
ebrietatis pestes, cura salutis et religione, actum est  
de Canadensi Gallorum colonia, peribit tot annorum  
tot bellorum, tot sacerdotum, labor, Nostri hæc, mi  
Pater: novit R. P. De Couvert, qui Lauretanæ Missi-  
oni per annos septemdecim præfuit: ex eo, cum jam  
Quebeci degat, plura cognoscere poteris. Faxint  
Superi, ut quæ per eum inchoata feliciter, et ad eam  
quam videmus, maturitatem perducta sunt, tueri, ac  
si fas est, augere possim. Opus mihi sunt ad eam rem  
peculiariæ gratiæ cælestis auxilia, quæ ut Suis apud  
Deum precibus et ff. sacrificiis R<sup>a</sup>. V<sup>a</sup>. mihi obtineat  
enixè rogo.

R<sup>a</sup>.V<sup>a</sup>.

Servus in X<sup>o</sup>.

LUDOVICUS DAVAUGOUR, S.J.

è Lauretano oppidulo

Nonis Octobr. 1710.